



DI SUA SANTITÀ

N° 8405

Dal Vaticano, li 19 Februarii 1959

Rev. me Pater,

Pro officio, quod exsequor, tibi renuntio ad Augustum Pontificem nuper litteras tuas pervenisse, reverentiae sane plenas, quibus tu, nomine quoque collegii moderatorum Consociationis Neerlandicae sacrorum seminariorum religiosarumque familiarum bibliothecariis adjuvandis, ipsius Consociationis rationes, industriam, instituta nota faciebas.

Sanctitas Sua datas Sibi litteras haud tenui oblectatione perlegit, manue attente volvit primos commentariolos, iis adiunctos, quibus index "Scripta recenter edita"; hos opportuno consilio in posterum certis statisque temporibus in lucem vulgabitis, ut theologicis ac philosophicis bibliothecis ex universo terrarum orbe praesto sint.

Quam ob rem Beatissimus Pater de huiusmodi incepto ex animo vobis gratulatur, quo sacrorum alumnis religiosisque Sodalibus aptum studiorum praesidium atque adiumentum curatis comparandum; ac laboribus vestris superna lumina adprecatus, tibi, cunctisque auxiliatricem operam tibi navantibus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertit.

Interea me ea qua par est observantia profiteor

Tibi
addictissimum

Rev. mo Patri
P. Doctori J. D. BAKKER S. S. S.
Directori Societatis
Neerlandicae vulgo V. S. K. B.

NOVIOMAGUM